1179 Anno dominicae incarnationis 1179 inchoante Zobezlaus diu quesitam nactus occasionem ex absentia Friderici collecto exercitu temptat irrumpere Pragam, sed frustratus est abs spe sua, quia hi, qui in castro erant, premoniti fuerunt et viriliter resistebant. Deinde pergit obviam Friderico a curia revertenti cogitans preoccupare inparatum, sed uxor eius, domna Elisabeth, premisso velociter nuntio facit eum scire, quaecumque geruntur domi. Quibus ille cognitis substitit statim in ipso introitu terrae mora fere decem dierum et mittens nuntios alios in Moraviam ad Cunradum, cui iam confederatus erat, alios atque alios per Boemiam nec non et in Teutoniam ad amicos, quibus bene confidebat, rogat, ut in tali articulo rerum ferant auxilium festinatum. Cumque iam multos haberet, plures expectaret, visum est ei versus Pragam procedere; procedunt, ventum erat ad fluvium, cui nomen Misa[1], ibique in loco, qui dicitur Brod[2] figentes tentoria, manserunt septem die-

Jan. 23 bus. Erat tertia feria, hoc est decimo Kal. Febr., cum inde progressi pervenerunt ad locum et

1) Mies

2) In der Nähe des heutigen Ortes Mies.